



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

14 Aqua benedicta conficitur per septem invocationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

fimo ritu, ut trad. S. Ambros. in sermone de mysterio Pasche, c. 5. & Conc. Tolet. 4. c. 8.

12. Benedictio ꝑ novarum frugum ex ritu antiquo à presbyteris fiebat, ut apud sanctum Hieronymum in Ezechielem, c. 24. ubi primitiæ ciborum nostrorum sacerdotibus offeruntur, ut nihil gustemus novarum frugum, nisi quòd sacerdos antè gustaverit, hoc autem facimus, ut reponat sacerdos oblationem nostram in domo sua, sive ut ad prædicationem suam Dominus benedicat domibus nostris. grandis est dignitas sacerdotum, sed grandis ruina, si peccaverint, & Genebrard. in Psalm: 150. nu. 4. ait, Videmus, Apostolos retinuisse dedicationes, templa, choros, vota, aquam lustralè, benedictiones sacerdotum, vestes, genuflexiones, ordines ecclesiasticos, decimas, primitias, processiones, visitationes sacrarum ædium, & locorum, manuum expansiones, festa Pentecostes, Paschatis, sublato victimarum usu, quæ per Christi cruorem abrogata sunt, & de pluribus aliis benedictionibus ex ritu antiquo tradit Marfil. in ead. sec. 2. cap. 2. nu. 7. usque ad num. 27.

13. Sacerdotes inter alia ꝑ benedicunt aquas sale conspersas, cujus benedictionis institutor fuit S. Matthæus Apostolus, & Evangelista, ut refert S. Clemens Romanus in lib. 8. Apostolicarum constitutionum, cap. 35. & Franc. Turia. in sua translatione, cap. 29. tradit de aqua, & oleo: Ego Matthæus constituo, ut benedicat Episcopus aquam, aut oleum; sin verò non aderit, benedicat presbyter. præserte diacono. Cùm autem Episcopus aderit, assistant presbyter, & diaconus: dicat autem in hunc modum, Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & olei

largitor, miserator, & amator hominum, qui dedisti aquam ad bibendum, & ablendum, & oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ, ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam, & oleum, ex nomine ejus, qui obtulit, vel quæ obtulit, & tribue ei vim sanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, & expellendi insidias, per Christum spem nostram, cum quo tibi gloria, honor, & cultus, ac sancto Spiritu in sæcula. Amen. Marfil sec. 2. cap. 2. nu. 49, 50, 51, & 54. & fuit postea constitutio Matthæi innovata, ut constat ex epistola S. Alexandri Rom. Pont. mart. ejus nominis primi, & à beato Petro quinti, qui ita scripsit, aquam, sale conspersam populis benedicimus, ut eam cuncti asperiti sanctificentur, & purificentur: quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam, si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mandabat, multò magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata. Et, si sale asperso per Elitæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quantò magis divinis precibus sacratum sal sterilitatem rerum auferret humanarum? Coinquinatos enim sanctificat, mundat, purgat, cætera bona multiplicat, insidiasque diaboli avertit, & à phantasmatum virtutis homines defendit, ut in epist. 1. quam scripsit omnibus orthodoxis, ut in tomo 1. cons. 1. & 5. & cap. aquam sale, de consecr. dist. 3.

14. Conficitur ꝑ aqua benedicta per septem invocationes mysticas divini nominis. Prima est, Adjutorium nostrum. Secunda: Exorcizo te creatura salis. Tertia, Invocamus te Domine. Quarta, Exorcizo te creatura aquæ. Quinta dum dicitur, qui ad salutem humani generis. Sexta, Cùm sal in.

sa aquam inmittitur. Et septima, dum dicitur, Deus in victæ virtutis, ut in sacerdotali Romano, & septem invocationes potissimum in huiusmodi benedictione concurrere creduntur, quia sanctificatur aqua in virtute septem donorum Spiritus sancti, ut per eundem Marfil. d. sec. 2, cap. 7, num. 34, & 35.

- 15 Effectus aquæ benedictæ ꝑ præcipuus est, ut per eam ante conspectum Domini peccata venialia remittantur, ex communi Theologorum sententia S. Thom. in 3: par. 9. 65: artic. 1, ad 6. & 8, q. 83, art. 3, ad 3, q. 87, art. 3: Sot. in 4. sent. dist. 15, q. 2, art. 3: & glo. in proem: sex: in ver. benedictionem, ubi Doctores omnes, & remittuntur per aquam benedictam peccata ex opere operantis, scilicet, quod actus ille devotionis, & reverentiæ, qua homo ad sacra recipienda movetur, peccatorum remissionem operatur, non quidem conferendo gratiam, ut in sacramentis, ꝑ quia necessaria non est gratiæ infusio pro venialibus remittendis, sed propter actum devotionis prædictum, ut explicat idem S. Thom. par. 3: quæst. 87: art. 3, in corpore, ubi ait, ad remissionem venialis peccati non requiritur novæ gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicitè, vel saltem implicitè, sicut, cum aliquis ferventer movetur in Deum.

- 17 Triplici ꝑ autem ratione aliqua causantur remissionem venialium peccatorum.

Primò causatur per infusionem gratiæ, & sic per Eucharistiam, & Sacramenta novæ legis.

Secundò, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, & hoc modo confessio generalis, unio peccato-

ris, & oratio Dominicalis profuit ad remissionem venialium peccatorum.

Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas, & hoc modo benedictio Episcopalis, aquæ benedictæ aspersio, quælibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, & similia, operantur ad remissionem venialium peccatorum. Marfil. eadem sect. 3. cap. 3. num. 1. usque ad num. 11,

8 Sacerdos aqua benedicta ꝑ altare, ecclesiam, & populum aspergit, ut omnis immundorum spirituum spurcitia tam de habitaculo, quàm de cordibus fidelium propellatur, hæ enim virtus aquæ exorcizatiæ inest, & etiam, quia novus Christianorum populus baptisimatis sacramento fuit renatus, ita ministerio aquæ lota renatorum corpora lustrat, ac diluit, eodem modo, quo sanguis agni à prisco populo ad repellendum percussorem in postibus ponebatur, Duran. rationa: divino. c. 4. lib. 4 & Ugo de S. Viçt. inquit, Hac igitur aqua sanctificata fideles asperguntur, & habitacula fidelium illustrantur ab illusione; & infestatione malignorum spirituum, in quo effectu aqua benedicta figurari ꝑ potest in sanguine agni paschalis, qui in postibus habitaculorum ad repellendum exterminatorem Dei mandato ponebatur, ut Exod. cap. 12 & Marfil. ead. sect. 3. cap. 2. nu. 19, 20, & 21.

Effectus aquæ benedictæ ꝑ est duplex, spiritualis, & temporalis. Spirituales effectus ꝑ sunt septem.

Primus, quo profligantur demones ꝑ ex creaturis, & locis, ut testatur Petr. Abb. Cluniacen. coztaneus divi Bernardi, qui lib. 1: de mirac. c. 7. narrat, quemadmodum in monasterio Cluniacè. infirmus quidam videbat